



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 14. Dissensio circa conficiendi diplomatis modum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. dum hæsitant quid, aut cui credant, non  
A. C. 1606. magno negotio ab hæreticis seducantur.

## §. XIV.

*Dissensio circa conficiendi diplomatis  
modum.*

*Abregé de  
l'hist. Eccles.  
tom. 10. §. 8.  
pag. 118.*

Abolutis autem Consultorum congressibus summus Pontifex unam quidem omnium de damnandis Molinæ propositionibus sententiam esse cognovit, quosdam tamen errores non satis distincte dispositos, nec satis nitide ac succincte, prout diplomatis angustia deposcerent, expositos censuit, quocirca illos methodo magis distincta disponi iussit, hoc negotio die vigesima tertia Novembris solis Secretariis ac duobus Archiepiscopis demandato, ea tamen lege, ut suas postea lucubrationes ceterorum iudicio committerent: Hoc præstito Archiepiscopus Armachanus Pontificii diplomatis exemplar delineabat, cui tamen nec Secretarii nec Joannes de Rada Tranensis Archiepiscopus ex integro subscribere voluerunt, eoquod *amplectendæ doctrinæ* capita præter Pontificis voluntatem die quinta Octobris denuntiata digessisset, ac ex damnandis propositionibus aliquas minus ordinate minusque nitide exposuisset, alias vero, quæ non tam ipsius Moli-



Molinæ, quam aliorum Doctorum erant, addidisset: Secretariorum consilium ceteris probabatur Consultoribus, quibus etiam suffragabatur Pontifex, facta Armachano optione, an opus suum vel ipsemet perpolire, vel id Gregorio Coronello relinquere velit. Hic suam ipsemet lucubrationem secundis curis castigabat, seorsim vero eandem pariter a Coronello emendari voluit. Utrumque hoc scriptum quarta demum vice anno sequenti ad limam vocatum est, tandem vero Pontifex Coronelli lucubrationem Armachanæ prætulit. Sub idem tempus Romæ nuntiatum erat, quod Barcinonenses Jesuitæ die quarta Januarii hoc anno, approbante ac subscribente P. Raphaelo Guerano e Societate Jesu, publicas Theses ediderint, in quarum septima hæc legebatur conclusio: *De fide debebamus credere Clementem VIII. fuisse rite electum, ac verum Papam, certitudine vero morali Paulum V. esse verum Pontificem.* Hanc tamen injuriam sibi illatam adhuc dissimulabat Pontifex.

## §. XV.

*Origo Contentionis inter summum  
Pontificem & Rempublicam  
Venetam.*

Dum